



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118510

§. 54. De Summa Conciliorum magis illustrium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66615)

Sæcul. XVI. sua præstat ceteris omnibus, quæ hucus-
A.C. 1542. que prodierunt sub hoc titulo : *Summa*
Conciliorum magis illustrium.

§. LIV.

*De Summa Conciliorum magis il-
 lustrum.*

Salmon.
tract. de stud.
Conc. 4. p. 2.
t. 2. p. 267.

Idem Cardinalis præfatam Summam nuncupabat Paulo III. Pontifici maximo, quo fatis functo eadem primo Florentiæ anno millesimo quingentesimo quinquagesimo tertio, ac postea in pluribus aliis locis impressa prodit. In ea Contarenus eundem Papam plurimum commendat ob indictam Synodum Tridentinam, cujus prosperum sibi successum pollicetur, imo referunt nonnulli, quod hujus Synodi convocatio eidem haud leves addiderit stimulos, ut sese huic studio daret, summaque diligentia ex Græcis, Latinisque Auctoribus quamdam Canonum epitome conscriberet. Ceterum eundem ordinem, quem sibi Isidorus in sua collectione præscripserat, etiam hic Cardinalis in sua Summa servasse videtur, atque, in quibus demum illa a Codicibus exaratis discrepet, observat, refertque non modo Concilium Nicænum sub Sylvestro Papa indictum, sed etiam illius Decreta regnante Julio I. condita. Præterea affirmat, quod Platonis doctrina, qua
 Do-

Doctorum potissimi eo ævo imbuti erant, ad propagandam Arii hæresin non parum contulerit. Postea octo Synodos ante Calcedonense Concilium celebratas, nec non septem Concilia Carthaginensia & unum Milevitanum adducit, cunctisque D. Augustinum interfuisse contendit: Ex tredecim vero Conciliis Toletanis, quæ alii Collectores referunt, tertium non modo ob Recaredi Gothorum Regis conversionem, sed etiam propter acclamationem eidem Regi his verbis factam: *Æternum meritum vero Catholico Regi*: valde notatu dignum est; inde enim ratione vero sat simili eruitur, quod Hispaniæ Reges eo abhinc tempore honorificum hunc titulum adoptarint (*).

Porro Contarenus, dum de sexto Concilio mentionem facit, Honorium Monothelitis favisse haud dissimulanter affirmat, hancque ob causam illius nomen Pontificum albo non fuisse insertum cen-

G 2

set.

(*) An hæc conjectura satis firma sit, Criticorum judicio relinquimus, id certum est, quod ejusdem Synodi Patres in laudem Reccaredo Regi non modo titulum Regis Catholici, sed etiam *Regis orthodoxi, Dei amatoris, novarum plebium in Ecclesia Catholica conquistoris, Deo & hominibus amabilis* in suis acclamationibus ad-ecerint.

Sæc. XVI.
A.C. 1542.

Sæcul. XVI. set. Præterea recensens Concilium
A.C. 1542. Lateranense IV. observavit, quod in illo
 matrimonium inter secundi & tertii gra-
 dus affines contrahere fuerit permillum,
 ut proin primus unice gradus verum (*)
 affinitatis vinculum producat; nec mi-
 nus notat idem Cardinalis, quod in præ-
 fato Concilio fuerint restricti illi gradus,
 vi quorum in quarto gradu inter sangui-
 ne junctos matrimonio jungi prohibi-
 tum fuerat. Ceterum, ut paucis id ab-
 solvam, merito affirmare possum, quod
 hæc *Summa Conciliorum magis illustrium*,
 quamvis valde succincta, præcipua ta-
 men juxta ac optima sit, simulque ob-
 servationibus, quæ ad hauriendam do-
 gmatum, morum, ac disciplinæ Eccle-
 siasticæ notitiam apprime conducunt,
 maxima cum prudentia, ac judicio ad-
 jectis abundat.

§. LV.

*Ejusdem Scriptoris tractatus de Præ-
 destinatione & Justificatione, nec
 non alia illius opera.*

Majora singularis adhuc prudentiæ spe-
 cimina edidisse videtur in suo tra-
 ctatu de Prædestinatione; haud enim
 dubitanter declarat, quod S. Augustini
 sen-

(*) Supple: *ex Jure naturæ.*